



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

Qvomodo Dicti Avctores Conciliandi sint. Capvt X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

ANNO
1275.

sterium ingressus, habitum suscipiens, Macharius est appellatus. Accidère hæc Regni sui anno 45. circa annum verò 1275 fœliciter ad Dominum migravit. Prius tamen, quam è vita decederet cunctos populos finitimis locis Christianæ religioni adscriptos, singulariter Abagami principis Tartarorum tutelæ commendavit.

QVOMODO DICTI AV-
CTORES CONCILIAN-
di sint.

CAPVT X.

EX his historijs colligimus, nonnullos auctores adserere, Regem Tartarorum Mango Cham, ob miraculum, quod in partu Regis Haytonis filiæ acciderat, Deo nomen dedisse, Christianumque effectum esse, quorû alter Thomas Bozius est, alter Gilbertus Genebrardus. Alij verò cõtra, Haytonis Regis monitis & suafu fidei Christianæ cultorem factum testantur: ex quibus haud postremus est alter Hayto, eiusdem Regis consanguineus: de quo nobis hic agendum. Ioachimus quoque Camerarius, licet in

fide

fide nobiscum non sentiat, in historia tamen tradenda conuenit.

Vt autem historiae huius veritas elucescat, sciendum est hac in parte Haytonem iam commemoratum sequi oportere, eam vel maximè ob causam, quod is ea omnia non ab alijs audiuerit, sed omnibus his ipsemet interfuerit, oculifque viderit, sicut in libro suo (quem eo tempore edidit, quo Ordinis Præmonstratensis habitum in Insula Cypro suscepit) luculentissimè cap. 46. ita scribens testatur. Ego frater Hayto omnibus interfui, (hoc .n. in libro suo de bello & baptismo Tartarorum Regis suscepto scripsit) qui iã dudum animum habitum clericalem suscipiendi concepi, sed ob multas difficultates, grauissimaque Regni Armeniæ negotia, illud sine graui amicorum cunctorum cura & offensione deponere nequii, eos eiusmodi periculis expositos relinquendo. Quare cùm primum mihi prepotens Deus commoditatem cõcessit, vt possem regni Armeniæ fasces ponere, populumque Christianũ pietate instructũ post ingentes meos labores, in pace & tranquillitate constitutũ relinquere, ita mox votum, quod iam ante longo tempore

Deo

Deo votum erat, reddere cupiebam. Itaque à Rege Domino meo, alijsq; amicis meis, in eo campo in quo Deus contra hostes Christianis victoriam largiri dignatus est veniam accepi, moxque accinctus itineri, in Cyprum appuli, vbi in monasterio habitu Præmonstratensis Ordinis sum amictus: ea propter vt vni summoque Deo in seruitiis diuinis, qui antea mundi luxui deditus fueram, strenuè militarem. Facta sunt hæc anno 1085.

ANNO
1085.

Vides ergo liquido constare, cui assensum præbere debeas, & penes hoc etiam intelligere potes, eum certiora & magis ex fundamento, qui se interfuisse asserit, quàm is, qui ea solummodo auditu perceperit, scribere potuisse. Quin etiam ipsemet Thomas Bozius licet vno in loco aliter sentiat, tamen lib. 4. c. 2. ita habet. Tartari sunt Ethnici, ex quibus complures Christiani facti tunc, cum eorum Rex, persuadente Rege Armeniæ, Christo nomen dedit, magnumque Christianis in bellis auxilium ferebat. Quod autem nonnulli (vt ipse Thomas Bozius) per filiã Regis Haytonis, Tartarorum Regem effectum Christianum dixerunt, eatenus intelligendum est, quatenus illa videlicet penes Regem fuerat adiumento tunc, cum partus ipsius

de.

deformis, per baptismum venustissimus effectus est. Vt ut est, suffecerit nobis, si ita Venerab. Haytonis vitam ob oculos ponamus, ut singuli magnitudinem diuinæ benedictionis & gratiæ ei concessam admirando cognoscant: quæ mirum in modum in omnibus suis cœptis & operibus resplendebat, ut quiuis hac eius vita cognita perspiciet. Finem itaque historiæ facimus, rogantes Deum præpotentem, ut ille per merita huius quibus eum in hac vita clarum reddidit, ordinem hunc sanctum, cui se ille deuouerat, illustrare, & nos, qui sub eadem ordinis regula militamus, per obseruationem eiusdem ad cœlestis vitæ gaudia sublimare dignetur.

